



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid, & quotuplex sit transactio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T U L U S XXXVI.
DE TRANSACTIONIBUS.

§. I.

Quid, & quotuplex sit transactio?

Transactio, late accepta dici potest cujuslibet negotii compositio; juxta quam acceptationem etiam res judicata, jusjurandum, & quodlibet pactum, quo lites aliqua componuntur, transactio dici potest. Proprie tamen, si de transactione loqui velimus, prout hic de ea sermo est, recte dicitur, ea esse de re dubia & controversa, ut distinguatur à pacto, quod est de re certa) sive de lite incerta & necdum finita (sive sit conclusum jam in causa, sive non, modò sententia definitiva necdum lata sit, & tempus appellationis jam lapsum sit) non gratuita pactio (ut distinguatur scilicet ab amicabili compositione, quæ sit omnino gratis) cum enim in transactione accipiatur aliquid, aut retineatur aliquid pro eo, quod alteri transigenti ceditur, consequenter recte dicitur, non gratuita esse pactio, & quia qui certus est de re aliqua aut jure aliquo sibi non competente, nihil accipere, aut retinere bonâ conscientia potest, ut cedat rem illam, aut jus illud alteri, consequenter de re dubia, aut lite nondum finita, quæ in rem judicatam abiit, debet esse transactio. Est autem transactio alia realis, quæ ad successores rei super qua transactum est, transit; alia personalis, quæ durat, quamdiu transigens vivit. *c. De cetero s. h. t.*

§. II.

De illis, qui transigere possunt, vel non possunt, & specialim an, & quatenus Prælati, vel Rectores Ecclesiarum transigere possint de rebus seu juribus Ecclesiasticis?

Quod omnes transigere possunt, qui liberam suarum rerum rerum administrationem habent, & quod circa res illas, quas aliqui alienare non possunt, nec transigere possunt, generaliter & universim loquendo, certum est, cum enim per transactionem ordinariè deveniatur ad alienationem, consequenter qui alienare non possunt, transigere non possunt, ne quod unâ viâ directè prohibetur, aliâ viâ indirectè concedatur contra *reg. juris 84. in 6.* Et hinc, præter alia ex jure Civili petenda, optimè infertur, Prælatos Ecclesiæ suæ administrationem, & solus in judicio pro causis suæ Ecclesiæ (saltem non valde gravibus) agere, & conveniri possit, circa res tamen immobiles & mobiles pretiosas suæ Ecclesiæ transigere non posse sine consensu sui Capituli, & aliis solemnitatibus ad alienandum requisitis, prout sumitur ex *c. Contingit 3. et c. Statuimus 2. c. Veniens 8. h. t.* Nisi ita de rebus talibus transigat, ut ea Ecclesia non amittat, sed pro data pecunia aliqua litis terminandæ causâ, retineat ea, vel recuperet, & pacificè penes Ecclesiam ea permaneant, ut docet *Glossa communiter recepta in L. Nulli 13. V. transigere ff. h. t.*